

quæ poena maneat impios, quando justus vix salvus erit; et quod præmium justis adepturi sint, qui vocati venerunt, et donec perducerentur viriliter omnia sustinuerunt, ab eo quod scriptum est: « Judica illos, Deus, » usque in finem Psalmi.

ENARRATIO

IN PSALMUM VI.

In finem, in hymnis de octavo, Psalmus David¹.

I. « DE octavo, » hic videtur obscurum². (Nam cætera in hoc titulo manifestiora sunt.) Visum est autem nonnullis diem judicii significare, id est, tempus adventus Domini nostri, quo venturus est judicare vivos et mortuos. Qui adventus, computatis annis ab Adam, post septem annorum millia futurus creditur: ut septem annorum millia tanquam septem dies transeant, deinde illud tempus tanquam dies octavus, adveniat. Sed quoniam dictum est a Domino: « Non est vestrum scire tempora, quæ Pater » posuit in sua potestate³: » et, « De die vero et illa hora » nemo scit, neque Angelus, neque Virtus, neque Filius, » nisi solus Pater⁴: » et illud quod scriptum est, tanquam furem venire diem Domini⁵, satis aperte ostendit neminem sibi oportere arrogare scientiam illius temporis, computatione aliqua annorum. Si enim post septem millia annorum ille dies venturus est, omnis homo potest annis

¹ Psal. vi, 1. — ² Vide D. Guillon, tom XXI, p. 405-406. — ³ Act. i, 7. — ⁴ Matth. xxiv, 36. — ⁵ I Thess. v, 2.

computatis adventum ejus addiscere. Ubi erit ergo, quod nec Filius hoc novit? Quod utique ideo dictum est, quia per Filium homines hoc non discunt, non quod apud se ipse non noverit: secundum illam locutionem: « Tentat » vos Dominus Deus vester, ut sciat¹, » id est, scire faciat vos; et, « Exurge, Domine², » id est, fac nos exurgere. Cum ergo ita dicatur nescire Filius hunc diem, non quod nesciat, sed quod nescire faciat eos, quibus hoc non expedit scire, id est, non eis hoc ostendat: quid sibi vult nescio quæ præsumptio, quæ annis computatis certissimum sperat post septem annorum millia diem Domini.

II. Nos igitur, quod nescire nos Dominus voluit, libenter nesciamus: et quæramus quid velit sibi iste titulus, qui scribitur « De octavo. » Potest quidem etiam nulla annorum temeraria supputatione dies judicii octavus intelligi, quod jam post finem hujus sæculi accepta æterna vita, tunc non erunt animæ justorum obnoxie temporibus; et quoniam omnia tempora septem dierum istorum repetitione volvuntur, octavus forte ille dictus est, qui varietatem istam non habebit. Est aliud quod hic non absurde accipi potest, cur octavum dicatur judicium, quod post duas generationes futurum est, unam quæ ad corpus, alteram quæ ad animam pertinet. Ab Adam enim usque ad Moysen genus humanum vixit ex corpore, id est, secundum carnem, qui etiam exterior et vetus homo dicitur³, et cui Vetus Testamentum datum est, ut quamvis religiosus, tamen carnalibus adhuc operationibus futura spiritalia præsignaret. Hoc toto tempore quo secundum corpus vivebatur, « Regnavit mors, sicut Apostolus ait, etiam in eos qui » non peccaverunt. Regnavit autem ex similitudine prævaricationis Adæ⁴, » sicut idem dicit: quoniam usque ad Moysen accipiendum est, quo usque Legis opera, id

¹ Deut. xii, 3. — ² Psal. lxxvii, 7. — ³ Ephes. iv, 22. — ⁴ Rom. v, 14.

est, carnaliter observata illa sacramenta, etiam eos obstrictos tenuerunt certi mysterii gratia, qui uni Deo subditi erant. Ab adventu autem Domini, ex quo ad circumcisionem cordis a carnis circumcisione transitum est, facta vocatio est, ut secundum animam viveretur, id est, secundum interiorem hominem, qui etiam novus homo¹ propter regenerationem dicitur morumque spiritualium innovationem. Manifestum est autem ad corpus quaternarium numerum pertinere, propter notissima elementa quatuor quibus constat, et quatuor qualitates, siccam, humidam, calidam, frigidam. Unde quatuor etiam temporibus administratur, verno, æstate, autumno, hyeme: hæc sunt notissima. Nam de quaternario numero corporis tractatur etiam alibi subtilius, sed obscurius: quod in hoc sermone vitandum est, quem etiam minus eruditus accommodatum esse volumus. Ad animum vero ternarium numerum pertinere potest intelligi, ex eo quod tripliciter Deum diligere jubemur, ex toto corde, ex tota anima, ex tota mente²: de quibus singulis non in Psalterio, sed in Evangelio disputandum est: nunc ad testimonium ternarii numeri ad animum pertinentis, satis puto esse quod dictum est. Peractis igitur numeris corporis ad veterem hominem et ad Vetus Testamentum pertinentibus, peractis etiam numeris animi ad novum hominem et ad Novum Testamentum relatis, sicut septenario numero transacto; quia unumquodque temporaliter agitur, quaternario in corpus, ternario in animum distributo, veniet octavus iudicii dies: qui meritis tribuens quod debetur, jam non ad opera temporalia, sed ad vitam æternam sanctos transferet, impios vero damnabit in æternum.

III. Quam damnationem metuens, orat Ecclesia in hoc Psalmo, dicens: « Domine, ne in ira tua arguas me³. »

¹ Coloss. iii, 10. — ² Deut. vi, 5; et Matth. xxii, 37. — ³ Psal. vi, 2.

Dicit etiam Apostolus iram iudicii: « Thesaurizas tibi, » inquit, iram in die iræ iusti iudicii Dei¹. » In qua se non vult argui, quisquis in hac vita sanari desiderat. « Nec » in furore tuo corripas me. Corripas, » mitius videtur: ad emendationem enim valet. Nam qui arguitur, id est, accusatur, metuendum est ne finem habeat damnationem. Sed quoniam furor plus videtur esse quam ira, potest movere cur illud quod est mitius, id est, correptio, cum eo positum est quod est durius, id est, cum furore. Sed ego puto unam rem duobus verbis significatam. Nam in græco θυμός quod est in primo versu, hoc significat quod ὀργή, quod est in secundo versu. Sed cum Latini vellent etiam ipsi duo verba ponere, quæsitum est quid esset vicinum iræ, et positum est furor. Ideo varie codices habent; nam in aliis prius invenitur ira, deinde furor: in aliis prius furor, deinde ira: in aliis pro furore indignatio ponitur, aut bilis. Sed quidquid illud est, motus est animi provocans ad poenam inferendam. Qui tamen motus, non tanquam animæ Deo tribuendus est, de quo dictum est: « Tu » autem, Domine virtutum, cum tranquillitate iudicas². » Quod autem tranquillum est, non est perturbatum. Non ergo cadit in Deum iudicem perturbatio: sed quod in ejus ministris fit, quia per leges ejus fit, ira ejus dicitur. In qua ira, non solum argui se non vult anima quæ nunc orat; sed nec corripas, id est, emendari vel erudiri. Nam in græco παιδείας positum est, id est, erudias. Arguuntur autem in die iudicii omnes qui non habent fundamentum quod est Christus. Emendantur autem, id est, purgantur, qui huic fundamento superædificant lignum, fœnum, stipulam. Detrimentum enim patientur, sed salvi erunt tanquam per ignem³. Quid ergo iste orat, qui non vult in ira Domini vel argui vel emendari? quid, nisi ut

¹ Rom. ii, 5. — ² Sap. xii, 18. — ³ I Cor. iii, 11.

sanetur? Ubi enim sanitas est, nec mors metuenda est, nec urentis aut secantis medici manus.

IV. Sequitur itaque, et dicit: « Miserere mei, Domine, » quoniam infirmus sum: sana me, Domine, quoniam » conturbata sunt ossa mea¹, » id est, firmamentum animæ meæ, vel fortitudo: hoc enim ossa significant. Dicit ergo anima fortitudinem suam esse turbatam, cum ossa nominat. Neque enim credendum est, quod habeat ossa quæ videmus in corpore. Quapropter, ad expositionem pertinet quod subjicitur, « Et anima mea turbata est valde. » Ne quod ossa appellavit, corporis intelligerentur. « Et tu, Domine, usquequo²? » Quis non intelligat significari animam luctantem cum morbis suis: diu autem dilatam a medico, ut ei persuaderetur in quæ mala se peccando præcipitaverit? Quod enim facile sanatur, non multum cavetur: ex difficultate autem sanationis, erit diligentior custodia receptæ sanitatis. Non ergo tanquam crudelis Deus æstimandus est, cui dicitur: « Et tu, Domine, usquequo? » Sed tanquam bonus persuasor animæ, quid mali sibi ipsa pepererit. Nondum enim tam perfecte orat hæc anima, ut ei dici possit: « Adhuc loquente te, dicam: Ecce adsum³. » Simul ut etiam illud agnoscat, quanta pœna impiis præparatur, qui se nolunt convertere ad Deum, si tantam difficultatem convertentes patiuntur: sicut alio loco scriptum est: « Si justus vix » salvus erit, peccator et impius ubi parebunt⁴? »

V. « Convertere, Domine, et erue animam meam⁵. » Convertens se, orat ut ad eam convertatur et Deus, sicut dictum est: « Convertimini ad me, et convertar ad vos, » dicit Dominus⁶. An ex illa locutione intelligendum est « Convertere, Domine, » id est, fac me converti, cum in

¹ Psal. vi, 3. — ² Ibid. 4. — ³ Isaï. lxy, 24. — ⁴ 1 Petr. iv, 18. — ⁵ Psal. vi, 5. — ⁶ Zach. i, 3.

ipsa sua conversione difficultatem laboremque sentiret? Nam perfecta nostra conversio paratum invenit Deum, sicut Propheta dicit: « Tanquam diluculum paratum in » venimus eum¹. » Quoniam ut eum amitteremus, non ejus absentia qui ubique adest, sed nostra fecit aversio. « In hoc mundo erat, inquit, et mundus per eum factus » est, et mundus eum non cognovit². » Si ergo in hoc mundo erat: et mundus eum non cognovit, nostra immunditia non fert ejus aspectum. Dum autem nos convertimus, id est, mutatione veteris vitæ resculpimus spiritum nostrum: durum sentimus et laboriosum ad serenitatem et tranquillitatem divinæ lucis a terrenarum cupiditatum caligine retorqueri. Et in tali difficultate dicimus, « Convertere, Domine, » id est, adjuva nos, ut perficiatur in nobis conversio, quæ te paratum invenit, et fruendum te præbentem dilectoribus tuis. Et ideo postquam dixit, « Convertere, Domine, » addidit, « Et erue animam meam: » tanquam inhærentem perplexitatibus hujus sæculi, et spinas quosdam dilacerantium desideriorum in ipsa conversione patientem. « Salvum me fac, inquit, propter misericordiam tuam³. » Intelligit non suorum meritorum esse quod sanatur; quandoquidem peccanti et datum præceptum prætereunti, justa damnatio debebatur. Sana me ergo, inquit, non propter meritum meum, sed propter misericordiam tuam.

VI. « Quoniam non est in morte qui memor sit tui⁴. » Intelligit quoque nunc esse tempus conversionis: quia cum ista vita transierit, non restat nisi retributio meritorum. « In inferno autem quis confitebitur tibi⁵? » Confessus est in inferno ille dives, de quo Dominus dicit, qui Lazarum vidit in requie, se autem in tormentis dolebat:

¹ Osee vi, 3, juxta lxx. — ² Joan. i, 10. — ³ Psal. i, 5. — ⁴ Ibid. 6. — ⁵ Ibid.

usque adeo confessus, ut etiam moneri suos vellet, ut se a peccatis cohiberent, propter pœnas quas apud inferos esse non creditur¹. Quamvis ergo frustra, confessus est tamen sibi merito illa accidisse tormenta; quando etiam suos ne in hæc inciderent, doceri cupiebat. Quid ergo est, « In inferno autem quis confitebitur tibi? » An infernum vult intelligi, quo post iudicium præcipitabuntur impij, ubi jam propter profundiores tenebras nullam Dei lucem videbunt, cui aliquid confiteantur? Nam iste adhuc elevatis oculis, quamvis immani profundo interposito, potuit tamen videre Lazarum in requie constitutum: ex cujus comparatione, ad confessionem coactus est meritorum suorum. Potest etiam illud intelligi, ut mortem vocet peccatum, quod contempta divina lege committitur: ut aculeum mortis mortem appellemus, quod mortem comparat. Aculeus enim mortis peccatum². In qua morte hoc est esse immemorem Dei, legem ejus et præcepta contemnere: ut infernum dixerit, cæcitatem animi, quæ peccantem, id est, morientem excipit et involvit: « Sicut » non probaverunt, inquit, habere Deum in notitia, dedit » illos Deus in reprobum sensum³. » Ab ista morte et ab isto inferno tutam se præberi anima deprecatur, dum molitur conversionem ad Deum, et sentit difficultates.

VII. Quapropter contexit, dicens: « Laboravi in gemitu meo. » Et tanquam parum profuerit, addit, et dicit, « Lavabo per singulas noctes lectum meum⁴. » Lectus est hoc loco appellatus ubi requiescit animus æger et infirmus, id est, in voluptate corporis et in omni delectatione sæculari. Quam delectationem lacrymis lavat qui sese ab illa conatur extrahere. Videt enim jam se damnare carnales concupiscentias, et tamen delectatione tenetur infirmitas, et in ea libenter jacet, unde surgere nisi sa-

¹ Luc. xvi, 23-31. — ² 1 Cor. xv, 56. — ³ Rom. i, 28. — ⁴ Psal. vi, 7.

natus animus non potest. Quod autem ait, « Per singulas » noctes, » hoc fortasse accipi voluit, quod ille spiritu promptus sentit aliquam lucem veritatis, et tamen in delectatione hujus sæculi per carnis infirmitatem aliquando requiescit, tanquam dies et noctes alterno affectu cogitur pati: ut cum dicit: « Mente servio legi Dei, » tanquam diem sentiat; rursus cum dicit: « Carne autem legi peccati¹, » inclinetur in noctem: donec omnis nox transeat, et veniat unus dies, de quo dicitur: « Mane astabo » tibi, et videbo². » Tunc enim astabit: nunc autem jacet, quando in lecto est, quem lavabit per singulas noctes, ut tantis lacrymis impetret efficacissimam de Dei misericordia medicinam. « In lacrymis stratum meum rigabo³. » Repetitio est; cum enim dicit: « In lacrymis, » ostendit quemadmodum superius, « Lavabo, » dixerit. Hoc autem accipimus « Stratum, » quod superius « lectum; » quanquam « Rigabo, » amplius sit aliquid, quam « Lavabo: » quoniam potest aliquid in superficie lavari; rigatio vero ad interiora permeat, quod significat fletum usque ad cordis intima. Temporum vero varietas quod præteritum posuit, cum diceret, « Laboravi in gemitu meo; » et futurum, cum diceret: « Lavabo per singulas » noctes lectum meum; » rursus futurum, « In lacrymis » stratum meum rigabo, » illud ostendit, quid sibi dicere debeat, cum quisque in gemitu frustra laboraverit; tanquam diceret: « Non profuit cum hoc feci, ergo illud faciam? »

VIII. « Turbatus est ab ira oculus meus⁴: » utrum sua, an Dei, in qua petit ne argueretur, aut corripereetur? Sed si illa diem iudicii significat, quomodo nunc potest intelligi? An inchoatio ejus est, quod hic homines dolores et tormenta patiuntur, et maxime damnus intelligentiæ

¹ Rom. vii, 25. — ² Psal. v, 5. — ³ Id. vi, 7. — ⁴ Ibid. 8.

veritatis; sicut jam commemoravi quod dictum est: « Dedit illos Deus in reprobum sensum¹? » Nam ea est cæcitas mentis; in eam quisquis datus fuerit, ab interiore Dei luce secluditur: sed nondum penitus cum in hac vita est. Sunt enim tenebræ exteriores², quæ magis ad diem iudicii pertinere intelliguntur, ut penitus extra Deum sit, quisquis, dum tempus est, corrigi noluerit; penitus autem esse extra Deum quid est, nisi esse in summa cæcitate? Siquidem Deus habitat lucem inaccessibilem³, quo ingrediuntur quibus dicitur: « Intra in gaudium Domini » tui⁴. » Hujus igitur iræ inchoatio est, quam in hac vita patitur quisque peccator. Timens itaque iudicii diem, laborat, et plangit, ne ad illud perducatur, cujus initium tam perniciosum nunc experitur; et ideo non dixit, Extinctus est; sed, « Turbatus est ab ira oculus meus. » Si autem sua ira dicit oculum suum esse turbatum, neque hoc mirum est; nam hinc forsitan dictum est: « Non occidat sol » super iracundiam vestram⁵: » quod interiori solem, id est, sapientiam Dei, tanquam occasum in se pati arbitratur mens, quæ sua perturbatione illum videre non sinitur.

IX. « Inveteravi in omnibus inimicis meis⁶. » De ira tantum dixerat, (si tamen de sua ira dixerat:) consideratis autem reliquis vitiis, invenit se omnibus esse vallatum. Quæ vitia quoniam veteris vitæ sunt et veteris hominis, quo exuendum sumus, ut induamur novo⁷, recte dictum est, « Invetervavi. In omnibus autem inimicis meis, » vel inter ipsa vitia dixit, vel inter homines qui nolunt ad Deum converti; nam et hi etiamsi nesciunt, etiamsi parcunt, etiamsi iisdem conviviis et domibus et civitatibus, nulla lite interposita, et crebris colloquiis quasi concorditer

¹ Rom. 1, 28. — ² Matth. xxv, 30. — ³ 1 Tim. vi, 16. — ⁴ Matth. xxv, 21 et 23. — ⁵ Ephes. iv, 26. — ⁶ Psal. vi, 8. — ⁷ Coloss. iii, 9, 10.

utuntur; nihilominus tamen intentione contraria, inimici sunt eis qui se ad Deum convertunt. Nam cum alii amant et appetunt istum mundum, alii se optant ab isto mundo liberari, quis non videat illos inimicos esse istis? Nam si possint, eos secum ad pœnas trahunt. Et magnum donum est, inter eorum verba versari quotidie, et non excedere de itinere præceptorum Dei. Sæpe enim mens nitens pergere in Deum, concussa in ipso itinere trepidat: et plerumque propterea non implet bonum propositum, ne offendant eos cum quibus vivit, alia bona peritura et transeuntia diligentes atque sectantes. Ab his separatus est omnis sanus, non locis, sed animo. Nam locis corpora continentur, animo autem locus est affectio sua.

X. Quapropter post laborem et gemitum et imbres creberrimos lacrymarum, quia inane non potest esse quod tam vehementer rogatur ab eo qui fons est omnium misericordiarum, verissimeque dictum est: « Prope est Dominus minus attritis corde²: » post tantas difficultates exauditam se anima pia significans, quam licet etiam Ecclesiam intelligere, vide quid adjungit: « Discedite a me omnes » qui operamini iniquitatem; quoniam exaudivit Dominus » vocem fletus mei³. » Vel in prophetia dictum est, quoniam discessuri sunt, id est, separabuntur a justis impij, cum iudicii dies venerit; vel nunc. Quia etiamsi pariter atque iisdem conventiculis continentur, tamen in area nuda jam grana separata sunt a paleis, quamvis inter paleas lateant. Simul itaque versari possunt, sed simul vento auferri non possunt.

XI. « Quoniam exaudivit Dominus fletus mei; exaudivit Dominus deprecationem meam; Dominus orationem meam assumpsit³. » Crebra ejusdem sententiæ repetitio, non quasi narrantis necessitatem, sed affectum exultantis

¹ Psal. xxxiii, 19. — ² Id. vi, 9. — ³ Ibid. 10.

ostendit. Sic enim loqui gaudentes solent, ut non eis sufficiat semel enuntiare quod gaudent. Iste fructus est illius gemitus in quo laboratur, et illarum lacrymarum quibus lavatur lectus, et stratus rigatur: quoniam, « Qui seminat » in lacrymis, in gaudio metet¹: » et, « Beati lugentes, » quoniam ipsi consolabuntur². »

XII. « Erubescant, et conturbentur omnes inimici » mei³. Discedite a me omnes, » dixit superius: quod etiam in hac vita, sicut expositum est, fieri potest: quod autem dicit, « Erubescant, et conturbentur, » non video quemadmodum evenire possit nisi illo die cum manifesta fuerint justorum præmia et supplicia peccatorum. Nam nunc usque adeo non erubescunt impii, ut nobis insultare non desinant. Et plerumque tantum valent irrisionibus suis, ut infirmos homines de Christi nomine erubescere faciant. Unde dictum est: « Quisquis me erubuerit coram » hominibus, erubescam eum coram Patre meo⁴. » Jamvero quisquis sublimia illa præcepta implere voluerit, ut dispergat, det pauperibus, quo justitia ejus maneat in æternum⁵, omnibusque suis rebus terrenis venditis et indigentibus erogatis, Christum sequi voluerit, dicens: « Nihil intulimus in hunc mundum, verum nec auferre » quid possumus; victum et tegumentum habentes, his » contenti simus⁶: » incidit in istorum sacrilegam dicitatem, et ab eis qui sanari nolunt, vocatur insanus; et sæpe ne hoc vocetur a desperatis hominibus, trepidat facere, et differt, quod omnium fidelissimus et potentissimus medicus imperavit. Non ergo nunc isti possunt erubescere, quibus ne nos erubescamus optandum est, et a proposito itinere vel revocemur, vel impediamur, vel retardemur. Sed veniet tempus ut illi erubescant, dicentes

¹ Psal. cxxv, 5. — ² Matth. v, 5. — ³ Psal. vi, 11. — ⁴ Luc. ix, 26. — ⁵ Psal. cxl, 9. — ⁶ I Tim. vi, 7, 8.

ut scriptum est: « Hi sunt quos aliquando habuimus in » risum et in similitudinem impropertii: nos insensati, » vitam illorum æstimabamus insaniam, et finem illorum » sine honore: quomodo computati sunt inter filios Dei, » et inter sanctos sors illorum est? Ergo erravimus a via » veritatis, et justitiæ lumen non luxit nobis, et sol non » est ortus nobis: repleti sumus iniquitatis via et perdi- » tionis, et ambulavimus solitudines difficiles, viam au- » tem Domini ignoravimus. Quid nobis profuit superbia, » aut quid divitiarum jactatio contulit nobis? Transierunt » omnia illa tanquam umbra¹. »

XIII. Quod autem ait: « Convertantur, et confundan- » tur², » quis non judicet esse justissimam pœnam, ut conversionem ad confusionem habeant, qui ad salutem habere noluerunt? Deinde addidit, « Valde velociter. » Cum enim jam desperari cœperit judicii dies, cum dixerint: « Pax, tunc eis repentinus veniet interitus³. » Quandocumque autem vunerit, celerrime venit quod desperatur esse venturum, et longitudinem vitæ hujus non facit sentiri, nisi spes vivendi. Nam nihil videtur esse celerius, quam quidquid in ea jam præteritum est. Cum ergo judicii dies venerit, tunc sentient peccatores quam non sit longa omnis vita quæ transit. Nec omnino eis videri poterit tarde venisse, quod non desiderantibus, sed potius non credentibus venerit. Quanquam et illud hic accipi potest, ut quia tanquam gementem et tam sæpe diuque fletem Deus exaudivit, intelligatur liberata a peccatis, et omnes perversos motus carnalis affectionis domuisse: sicut dicit: « Discedite a me omnes qui ope- » ramini iniquitatem, quoniam exaudivit Dominus vocem » fletus mei⁴: » quod cum ei provenerit, non mirum est si jam ita perfecta est, ut oret pro inimicis suis. Potest

¹ Sap. v, 3-9. — ² Psal. vi, 11. — ³ I Thess. v, 3. — ⁴ Psal. vi, 9.

ergo ad hoc pertinere quod dixit : « Erubescant , et conturbentur omnes inimici mei : » ut de peccatis suis agant pœnitentiam , quod sine confusione et conturbatione fieri non potest. Nihil itaque impedit sic accipere et illud quod sequitur , « Convertantur et erubescant , » id est , convertantur ad Deum , et erubescant se in prioribus tenebris peccatorum aliquando gloriosos : sicut Apostolus dicit : « Quam enim gloriâ habuistis aliquando in his , » in quibus nunc erubescitis¹ ? » Quod autem addidit , « Valde velociter , » aut ad optantis affectum , aut ad Christi potentiam referendum est , qui gentes quæ pro idolis suis persequiebantur Ecclesiam , ad Evangelii fidem tanta temporum celeritate convertit.

ENARRATIO

IN PSALMUM VII.

Psalmus ipsi David , quem cantavit Domino pro verbis Chusi , filii Gemini².

I. HISTORIA quidem , unde occasionem ista prophetia sumpsit , in Regnorum secundo libro cognoscere facile est³. Ibi enim Chusi amicus regis David transitum fecit in partes Abessalon filii ejus , qui adversus patrem bellum gerebat , ad exploranda consilia et renuntianda quæ adversus patrem ille moliebatur , auctore Achitopel , qui defecerat ab amicitia David , et filium ejus adversus patrem consiliis quibus posset , instruebat. Sed quoniam non ipsa historia in hoc Psalmo consideranda est , de qua Propheta myste-

¹ Rom. vi , 21. — ² Psal. vii , 1. — ³ 2 Reg. 16.

riorum velamen assumpsit , si transitum ad Christum fecimus , auferatur velamen¹. Et primo ipsorum nominum significationem interrogemus , quid sibi velit. Non enim defuerunt interpretes , qui hæc ipsa non carnaliter ad litteram , sed spiritaliter investigantes , edicerent nobis quod Chusi interpretetur Silentium ; Gemini autem , Dexter ; Achitophel , Fratris ruina. Quibus interpretationibus rursum nobis traditor ille Judas occurrit , ut Abessalon ejus imaginem gestet , secundum quod Patris pax interpretatur ; quia pacatus erga illum extitit pater : quamvis ipse dolis suis bellum haberet in corde , sicut in Psalmo tertio tractatum est². Quemadmodum autem invenitur in Evangelio filios Domini nostri Jesu Christi dictos esse Discipulos³ , sic in eodem Evangelio invenitur etiam fratres esse appellatos. Resurgens enim Dominus ait : « Vade , et dic fratribus meis⁴. » Et Apostolus eum dicit primogenitum in multis fratribus⁵. Discipuli ergo ejus ruina qui eum tradidit , recte intelligitur Fratris ruina , quod Achitophel interpretari diximus. Chusi autem , quod interpretatur Silentium , recte accipitur adversus illos dolos Dominum nostrum silentio dimicasse , id est , altissimo secreto quo cæcitas ex parte Israël facta est , cum Dominum persequerentur , ut plenitudo gentium subintraret , et sic omnis Israël salvus fieret. Ad hoc profundum secretum altumque silentium cum venisset Apostolus , exclamavit quasi quodam ipsius altitudinis horrore percussus : « O altitudo divitiarum sapientiæ et scientiæ Dei , quam inscrutabilia sunt judicia ejus , et investigabiles viæ ipsius ! Quis enim cognovit mentem Domini , aut quis consiliarius illius fuit⁶ ? » Ita magnum illud silentium non expositione magis aperit , quam admiratione commendat. Hoc

¹ 2 Cor. iii , 16. — ² Enarrat. in Psal. iii , n. 1. — ³ Matth. ix , 15. — ⁴ Joan. xx , 17. — ⁵ Rom. viii , 29. — ⁶ Id. xi , 33 , 34.